

ac dona, quibus cathedralem Ecclesiam, Cœnobium Abdinghovianum, & Collegium Canonicorum Bustorffianum locupletavit; Si nimirum Divorum corpora & reliquiæ, si calices aurei & argentei, si vestes sacrificiales, pallia, crucis signa, candelabra argentea, & omnis sacra supellex ab eo congregata, & ab auctore vitæ consignata percentsatur. Non ante eum Episcopus, neque ex Successoribus, qui majorem thesaurum Ecclesiæ suæ intulerit, aut bibliothecam principis

Scholas  
Pader-  
bornen-  
ses flo-  
rentissi-  
mas red-  
dit.

*Auctor vita  
Meinwv.*

Rigor S.  
Mein-  
vverci in  
schola-  
res.

*Crantzus  
lib 4. Met-  
trop. c. 4.  
Surius in  
Junio.*

*Chron.  
Mind.  
Eritv. in  
fastis Os-  
nabr.*

Obitus  
Sigeber-  
ti Episco-  
pi Min-  
densis.

Collegij librorum copia magnificentius extruxerit; nam Scholas, quas Paderbornæ florentes excepit, eas omni studiorum genere & magistrorum præstantia celebriores reddidit, tantaque doctrinarum eo Episcopo fama sparsa erat, ut nobilissimi quique per Saxoniam vi- ri, Comites & Marchiones filios suos Meinwerco, & Scholarum ma-

gistris in disciplinam darent. Exhorum numero S. Anno Coloniensis Archiepiscopus, Fridericus XVI Monasteriensis Episcopus Marchionis Misniæ filius, Imadus Meinverci ex sorore nepos, & post Rothensem Meinverci in Episcopatu Paderbornensi Successor. Hos

tam arcta cum clericis in disciplina habuit Meinwercus, ut nunquam ex claustro exire ad parentes invisendos, aut eos alloqui permiserit, asserens pueros à primis annis intra rigorem disciplinæ continendos esse, ne parentum ac consanguineorum blandimentis emollirentur, qui ad virtutem & contemplationem rerum humanarum educandi essent. His rebus præclarè sanctèque in Episcopatu gestis Meinvercus immortalem apud posteros famam reliquit, ut non immerito inter sanctissimos hujus Ecclesiæ Præfules numerandus sit. Attametsi D. Godehardus à morte statim, quam divinitus acceperat, Beatum pronunciari, & Crantzi⁹ eum virum sanctum vocet, ac Surius etiam vitam ejus inter Divorum res gestas retulerit; nullis tamen publicè decretis Divorum honoribus exornatum reperio. Quanquam Meinverci Successor Rotho Episcopus perpetuum lampadis lumen ad sepulchrum, ex certa donatione ad id facta, ardere voluerit; tanquam inter Divos veneratus, Divorum quoque honoribus exornandum duxerit.

Quemadmodum crypta, in qua corpus ejus primum quievit, suppli- cum accessu olim frequentata, ac multi etiam cœlesti ejus ope adjuti ferantur. Haud multò post per Autumnum excessit è vita Sigebertus Mindensium Episcopus, vir & Meinwerco familiaris, & Conrado Imperatori ob virtutum æstimationem percarus, præclarèq; de sua dicecessi meritus. Obiit festo D. Geronis Martyris, in Ecclesia S. Martini Episcopi à se condita humatus. Successor ei datus Bruno ex Collegio Canonorum Magdenburgensi evocatus, Conradi Imperatoris commendatione. Ad hæc etiam tempora referunt Comitum Schavensburgensium origines ab Adolpho Santerslevio, qui Sigeberti Episcopi beneficio primum emerserit, firmaritq; ejus Comitatus hereditariam fedem. Fatalis quoq; hic annus Corbeiensibus, quo & villa Huxtaria tota cœlesti igne, & Cœnobium pestiferâ lue prope absumptum est.

A N N A-